



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XXI. Quantum Dei amor ab amore opum terrenarum dissideat: quoque pacto hominem ad has repudiandas impellat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

met divinæ charitati, & formali perfectioni
 acquirendæ impendisse. Si enim formalis
 perfectio non sunt, at instrumenta sunt sal-
 tèm, quorum ope hæc acquiri certissime po-
 test: & sinè quibus, qui eam solis meditatio-
 nibus, piisq; affectibus se affecuturum spe-
 raret, responsum mereretur audire, à Xeno-
 crate juveni datum, qui Musicæ, Geometriæ,
 & Astrologiæ penitè rudis, Philosophiæ my-
 steriis ab eo initiari poscebat. (*Lært. L. 4.*)
Abi: nam ansis Philosophiæ cares: tantòque ipse
justius mereretur id audire, quantò ad Chris-
tianam perfectionem magis necessaria hæc
virtutum, quàm ad Philosophiam illa dilige-
*ntiarum trias est. *Abi: nam ansis perfectio**
cares.

CAPUT XXI.

Quantùm DEI amor ab a-
 more opum terrenarum diffide-
 at, & quo pacto hominem ad has
 repudiandas impellat.



Voluntariam terrenarum opum
 gestatem, meliorem, univ-
 loquendo, & magis DE O
 tam earundem possessione est

extra controversiam est, post tam singularia æstimationis, amorisque argumenta, quæ extra illam Filius DEI edidit, tum perpetuum sibi eligendo totius mortalis vitæ suæ sociam: cum omne hominum genus ad eam exhortando: & ita quidem, ut negaret, quemquam posse alioquin suæ inter scholæ alumnos censer: (Luc. 14.) *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quare, etiamsi nulla aliunde apparet ratio, propter quam, quisquis perfectè DEUM amare in animo habet, universis se exuere externis facultatibus debeat; satis superque una hæc esset, quòd, qui eas possidet, Christi Domini exempla imitari, & consiliis obsequi omittit: neque idcirco, qui proprius eum perfectè amantium mos est, in omni re eligit, quod ei magis arridet, sed neque intimus, & naturalis voluntariæ paupertatis cum perfectò amore DEI nexus non apertè satis se prodit. Nam quis ignorat, & quantum divini amoris integritati repugnet opum terrenarum amor; & quantò remotior ab hoc sit, qui ultro illis nuntium remittit, quàm qui earum possessionem retinet? *Hæc fugiendarum causa præcipua divitiarum est, (monet nos D. Bernardus) quòd aut vix, aut nunquam sine*

*finè amore valent possideri. Limosa siquidem, & glutinosa nimis non modò exterior, verùm etiam interior substantia nostra videtur: & facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, inhaeret. (Serm. in illud: Ecce nos vel.) Imò, quis non videt, quantum amplæ rei dominatus, esse omnis illius amor procul esset, per se ipsum & suapte naturâ perfectioni ad intimam animæ cum DEO conjunctionem necessariæ adverteretur? Adversatur primò, inquit D. Augustinus, ratione fastûs, quo inflari animus divitis solet, dum plurimos suo auxilio indigere, eorûnque obsequiis se coli, & in peculiari æstimatione, atque pretio esse apud populum cernit. (Serm. 5. de Verb. Dom.) *Nihil est, quod sic generent divitiæ, quomodo superbia. Omne pomum, omne granum, omne lignum habet vermem suum. Vermis divitiarum superbia est; cùm pauper è contrario à fortuna sua, in vulgi oculis vili, & despecta, non alias sibi quàm modestas cogitationes suggeri sentiat. Adversatur præterea ratione facultatis, quam se obtinentibus præbet, suas omnes cupiditates explendi, molliter se curandi, nullòque non genere deliciarum fruendi. Qui propterea inter tot luxuriæ apparatus, & voluptatum lenocinia assiduè versantes, difficillime**

mum experiuntur, vel communis temperan-
 tiæ leges servare, nedum extraordinarios vo-
 luntariæ mortificationis rigores adjicere,
 juxta illud Poëtæ: (*Mart. Epigr. 5. L. 11.*) *Ar-
 dua res hæc est, opibus non tradere mores: & cùm
 tot Cræfos viceris, esse Numam.* Adversatur de-
 nique immani mole, atque turba curarum de
 reditibus providè administrandis, de agris, ac
 vineis colendis, de præcavendis detrimentis,
 & occasionibus lucri tempestivè arripiendis,
 de necessariis sumptibus, de ambiguo litium
 eventu, & sexcentis aliis hujusmodi tricis,
 quæ neque separari à conditione multa possi-
 dentium queunt; neque credi sat potest, quan-
 tum suis intemperis à quieta, intimaque cum
 DEO conjunctione mentem avertant; ve-
 rum comprobantes, quod D. Hieronymus
 scripsit: *Quamdiu versamur in sæculi rebus, &
 anima nostra possessionum, & reddituum procura-
 tione devincta est, de DEO libere cogitare non
 possumus.* (*Ep. 34.*)

2. Quamobrem noxiis hisce observatis
 divitiarum effectibus nulla est ratio admiran-
 di, quod & varii ethnici Scriptorum, Philoso-
 phi, Historici, Poëtæ consenserint, ad eas u-
 no ore damnandas, quasi vitiorum fomitem,
 bonorúmque morum perniciem; veluti, ut

K k 5

è plu-

è plurimis unum, alterumque nominatim recensentem, Horatius, & Plato: quorum prior illas *summi materiem mali* appellat; alter vero nihilo eas minus in diversum à virtute ferri ait, quàm duo pondera in trutina ex adverso suspensa contrarios habeant invicem motus. (L. 8. de Rep.) *Virtus ità à divitiis discepat, quasi utraque in lance statera sint posita, semperque in contrariam partem declinent.* Imò etiam eorundem Ethnicorum nonnulli, non contenti verbis eas insectari, quò liberius virtutis, sapientiæque studiis se impenderent, valere easdem jufferunt: sive abdicantes à majoribus sibi relictas, instar Cratetis Thebani, qui coactum è venditis possessionibus suis pretium ultro in mare projecit, dicens: *Abbite pessum malæ cupiditates. Ego vos mergam, nè ipse mergar à vobis.* (D. Hier. L. 2. Adv. Jovin. & Ep. 34. ad Jul.) sive respuentes à Regibus amicis oblatas, quemadmodum à Phocione factum accepimus: cui cum Alexander Macedo centum talenta dono misisset, interrogavit regiæ gazæ latores, cur Alexander sibi potius, quàm ulli alteri ex Atheniensibus tantum argenti mittendum putasset: auditoque causam esse, quia ipsum eximie virtutis hominem esse arbitraretur, subjecit: si ergo

quatenus talem me amat, & hoc dignum munere existimat; suum age munus sibi habeat, nè illud ego accipiens talis esse, suoque amore, & munere dignus esse desinam. *Sinite igitur, qualem Alexander me judicat, talem esse.* (Plut. in V. Phoc.) Illustre enimvero in nostram rem documentum: si enim, cum veteres ii Philosophi pro meta suorum studiorum virtutem haberent, nostrâ & facilius parabilem, & minùs expeti dignam, quia merè humanam; existimârunt tamen, nec se illam posse inter divitiarum impedimenta obtinere, & debere harum omnium sumptu mercari; quidnam, rogo, sentiendum, faciendumque erit nobis, qui ad perfectionem collimamus, tantò & difficilorem paratu, & digniorem quæsitu, quantò est supernaturalis perfectio amoris divini? Quantò, inquam, nos conveniet & magis vereri, nè per facultates terrenas ab illa assequenda prohibeamur, & promptiores esse ad eas omnes pro cælesti hac margarita expendendas. *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione; quasi nihil despiciet eam.* (Cant. 8.)

3. His ergo ità se habentibus, cum duplici hominum genere sermo esse hìc mihi potest. Primò cum iis, qui externa possident
bo-

bona: nihilque aliud his suggerendum habeo, quàm ut ea, si perfectè amare DEUM cupiunt, quoad fieri potest, dimittant. Secundò cum illis, qui Christi consilium secuti omni jam sese facultatum suarum dominio, & possessione exuerunt: hisque modum designabo, Euangelicæ paupertatis, quam amplexi sunt, secundùm omnem perfectionem servandæ. Repetito itaque à primis disputationis exordio, quæro ab eis, quonam pacto perfectos DEI amatores profiteri se possint, si, cùm in arbitrio, & potestate sua sit, terrenis opibus pro majori ejus gloria nuntium remittere, malunt tamen eis frui. Nam qui se DEO, & sanctissimo ejus amori totum devovit, authore, & teste D. Basilio, (*In Reg. fus. Disp. qu. 8.*) *De nulla omnino vitæ hujus curare amplius potest: tantùmque abest ab occupanda in rebus vitæ supervacaneis mente, ut ægre, invitòque animo, nec nisi coactus de ipsismet necessariis cogitet.* Atqui divitiarum possessio neque prorsus necessaria humanæ vitæ est; & altera ex parte magnopere animam præpedit, nè DEO penitus vacet: tum quatenus ad rerum terrenarum cogitationes, & curas eam avocat; tum quatenus fomitem præbet amori erga bona possessa: quibus

bus difficillimum est uti, & potiri, nec interim ullo affectu adhærere: ut nostra, communisque experientia palàm demonstrat, probè animadversa à Justino, & Juvenale, secundum quos: *Pecuniæ ibi cupiditas est, ubi usus. Et minùs hanc optat, qui non habet.* (Hist. L. 2. Sat. 14.) Qui ergo, cùm possit ultronea opum abdicatione hæc sui erga DEUM amoris impedimenta amoliri, illas tamen retinet, luculenter ostendit, magis se amare suas opes, quàm sollicitum esse de DEO perfectissimè amando. *In universum,* (colligit citatus paulò antè D. Basilius) *cui nè de ipsis quidem necessariis ad tuendam vitam præsidis sollicito esse concessum est, veluti de victu, atque vestitu; quænam, rogo, huic ratio permittit, ut pravis divitiarum causâ susceptis sollicitudinibus, veluti spinis, quæ jactam ab animarum nostrarum agricola seementem sætus edere non sinunt, suffocatus teneatur?* (suprà.) Præterea manifestè apparet, fieri non posse, ut DEUM quàm perfectissimè amet, qui sciens alterum ex duobus ei magis placere; hoc tamen relicto, alterum eligit, quo minùs delectari illum novit. Jam verò, cùm DEUS disertè adeò voluntariam paupertatem nobis commendaverit, proponendo eam veluti conditionem cuilibet, qui vult

vult esse perfectus, necessariam, testandoque, neminem sine illa suum esse discipulum posse, & beatos illius sectatores vocando; apertissimè hinc, & extra omne dubium declaravit, magis eam sibi, quàm divitiarum retentionem placere. Quomodo igitur, qui retinere, quàm abdicare facultates suas mavult, dici potest aut non negligere, quod Deo est gratius; aut hoc negligens, eum tamen perfectissimè amare. Postremò, si quis ex Lectoribus adhuc superest, qui summam divinæ charitatis perfectionem affectare se prædicet, neque animum tamen ad facultates suas deferendas inducit; juvat hominem seorsum accipere, & sic cum eo disceptare. Vel tu amas isthæc bona, quæ possides, vel nullo eorum amore afficeris. Si hoc secundum affirmas, quidni ergo illis ultro te abdicas? Cùm neque in hujusmodi abdicatione quidquam tibi ita composito occurrere difficultatis queat, juxta illud D. Augustini effatum: (*De Doctr. Chr. L. 3. c. 18.*) *Non est in cædendo difficultas, nisi cum in habendo cupiditas;* pectaque illam cæteroqui multa, & minimè leviorum perfectionis tuæ impedimenta vitares, majorem DEO adhærendi facilitatem acquires, & congruentiorem illius consiliis, atque exem-

exemplis vitam ageres? Certè hæc tanti pretii emolumenta lentum, atque immotum negligere, quamvis nulla ex adverso se objiciat difficultas, neque ullus aliunde amor diversus retineat, socordiam præferat, ab omni non modò ratione, verùm etiam rationis specie abhorrentem, quæque nullo possit prætextu excusari. Sin autem respondeas, aliquo tuarum facultatum amore te affici, atque hinc detineri, nè illas repudies; tunc dico: tantò magis necessarium tibi esse illarum repudium, si perfectè amare DEUM quæris; quanto magis perfectò DEI amori adversatur earum cum hoc cordis affectu possessio. Quocirca fatendum tibi est, vel nullam adesse causam, quæ incitare te possit ad eas retinendas, vel eam unam adesse, quæ omni alia validiùs te deberet impellere ad eas dimittendas.

4. Non tamen ità protinus divitiarum amatores dant manus. Plus nimio illis durum videtur, repentina suæ conditionis catastrophe, à summa rerum copia ad extremam penuriam transire. Quemadmodum, teste Ecclesiastico, amarissima est mortis recordatio *homini pacem habenti in substantiis suis; (c. 41.)* sic haud dissimilem ipsi experiuntur amaritatem, audientes ad voluntariam paupertatem se

se urgeri, nempe ad quamdam mortis speciem, quæ nihilo minùs, quàm naturalis, & communis, imò illâ tristiùs, quia etiamnum viventes fortunis omnibus spoliat. Conantur proinde aliquem prætextum nancisci, sub cuius umbra, & tutamine citra notam, minùs quàm par sit, DEUM diligendi, possint tranquillè suis possessionibus frui. Audiamus, quæso, rationes, quas proferunt, visuri, num aliquam eorum causæ tuendæ vim habeant, vel potiùs (quando propter adductarum iam à nobis ex adverso evidentiam nullam habere, nisi imaginariam possunt) hanc ipsam, qua imperitos decipiunt, veri imaginem is detracturi. Prima est, quia, si externarum rerum abdicatio perfectò DE I amori obtinendo necessaria esset, à nemine hic possent finè illa obtineri. Quod cæteroqui falsum esse liquidò apparet: cùm perfectè DEUM amare, quisquis vult, possit: multique nihilominus, putà omnes patresfamilias, non possint, etiamsi vellent, suis bonis se exuere. Et demonstrari adhuc clariùs videtur confidentis illius falsitas exemplis multorum, quos annalium monumenta testantur, & post Evangelii promulgationem affluentem opibus, neque tamen idcirco minùs sanctam, per-

perfectamque vitam duxisse. Secunda ratio consistit in facultate alienas calamitates levandi, quæ à divitiis suppeditatur, & unà cum iisdem amittitur. Quomodo enim perfectæ erga DEUM charitatis impedimentum credi possit, quod necessarium est charitati erga proximos exercendæ instrumentum? Neque refert, quòd eadem terrenis suis curis possidentium animos à quieta contemplatione DEI avocent. Si enim hoc satis causæ esset ad eas relinquendas, quævis itè Christianæ misericordiæ opera, ad proximorum seu corpora, seu animos juvandos spectantia derelinqui oporteret: cum neque ex iis ullum non aliquam ejusmodi avocationem conjunctam habeat. Tertia ratio ex necessitate ducitur, quam paupertas voluntaria sectatoribus suis imponit, quotidianum sibi victum vel opificio aliquo, vel saltè mendicitate parandi: qui modus uterque vitandus potius, quàm eligendus est. Nam prior non omnium viribus comensuratus est, & insitas quoque à natura eas mentis distractiones, & animi sollicitudines habet, quarum causâ divitiarum fuga suadetur. Mendicatio autem vix in iis toleratur, quos fortuna ad egestatem damnavit: nedum tolerari in iis possit, qui eam sibi

bi sponte adoptârunt. Cùm consilium mi-
rè insolens, & à ratione absõnum videatur,
hominem, cui satis erat rei, unde citra ullius
incommodum, & molestiam se sustentaret,
illius ultro exhæredem se facere, ut alienis
deinde sumptibus victitet.

5. Accedendo itaque ad prædictarum ra-
tionum confutationem, quidnam, age, pri-
ma inquit? Non omnibus licet facultates pro-
prias ex toto derelinquere. Ergo carum
derelictio ad perfectum DEI amorem neces-
saria non est. At enimvero, si isthæc conse-
cutio valeret, idem de hac quoque altera e-
set dicendum: Non omnibus facultas suppe-
tit, restituendi alienam rem furto ablatam;
ergo furtivæ rei restitutio ad divinam Legem
implendam necessaria non est. Quemadmo-
dum igitur adversarii hic responderent, ne-
minem esse, qui furto ablata restituere Domi-
nis nequeat, vel exteriori actu, vel saltim
voluntatis affectu: ejusque restitutionem e-
se omnibus alterutro ex prædictis duobus
modis necessariam: actu nempe illis, quibus
præsto est ejus facultas; aliis verò, qui hac ca-
rent, voluntatis affectu; simili ratione pos-
sum & ipse eorum argumento responderet
neminem esse, cui integrum non sit vel re ip-
sa.

sa, vel saltè voto suis se facultatibus propter DEUM abdicare: omnibùsque ad majorem divinæ charitatis perfectionem alterutro ex memoratis duobus modis necessarium id esse: necessarium quidem actu, & re ipsa iis, quibus legitimi impedimenti níl obest; iis verò, quos justa impedit ratio, voluntate, & affectu. Quibus ità explanatis, nullam quoque ultra vim retinet objectum ab iisdem exemplum sanctorum virorum, qui etiã in legis Evangelicæ statu luculenta patrimoniam, & opimos census possederint. Nam secundum distinctionem alibi à nobis in re simili allatam; vel tales DEI famuli ex mera necessitate sui statûs amplas illas opes retinuerunt, optantes alioquin, juxta Christi consilium missas facere: neque illi tunc sanè omiserunt DEUM amare, quantum perfectissimè poterant, nempe ex animo velle, quod ei magis placeret. Unde etiam credendi sunt, esto inter majora perfectionis impedimenta versarentur, DEO tamen piam eorum voluntatem remunerante, nihil indè damni accepisse, verùm in mediis rerum terrenarum illecebris nihilo minùs continentibus, *pauperes spiritu*, & divina charitate flagrantibus vixisse; ac si ab iis penitus liberi, suisque exuti

fortunis, in religioso quopiam cœnobio Eu-
 angelicam profiterentur inopiam. Vel eo-
 rum nonnulli, quamvis nihil prohiberet, di-
 vitiis nuntium remittere; earum tamen pos-
 sessionem sibi retinendam duxerunt, inque
 hoc eventu, (qui tamen non ita facile occur-
 ret) possum dicere, nihilque dubitans di-
 xerim: hujusmodi homines, si sanctè inter
 divitias vixerunt, sanctiùs tamen victuros fu-
 isse, si reliquis suis virtutibus hanc quoque ad-
 jecissent, sequendi videlicet per omnimodam
 divitiarum abdicationem consilium, atque
 exemplum, quod iis hoc in genere DEI Fi-
 lius reliquerat. Quia, ut summatim rem
 colligam, extra omnem controversiam est,
 minùs perfectè, quàm posset, DEUM ab eo
 amari, qui sciens gratius aliquid ipsi esse, et
 ad intimam cum ipso conjunctionem utili-
 us, negligit tamen id velle. Quamobrem
 nemini esse dubium potest, quin cum opum
 terrenarum repudiatio ad animam cum Deo
 penitùs conjungendam utilior, Deoque ac-
 ceptior sit, quàm earundem voluntaria pos-
 sessio; minùs DEUM amet, quàm possit,
 quàmque ad summam divinæ charitatis per-
 fectionem requiritur; qui, licet integrum se
 bi sit eas repudiare, Deoque ita gratiore
 rem

rem facere; mavult tamen iisdem quanquam minus ipsi placiturus potiri.

6. At enim hujusmodi bonorum possessio, quamvis animam ab intima cum DEO consuetudine aliquantulum distrahat, difficilioremque ab humanis quibusque affectibus puritatem ei reddat; utilissimum est nihilominus, imò etiam necessarium nostræ erga proximos charitatis instrumentum: à cujus tam præcipuæ virtutis exercitatione haudquam rationi, divinæque voluntati consentaneum videtur, ut cujuslibet spiritualis nostri impedimenti, & discriminis metus nos avocet. Possem secundæ huic rationi respondere, incumbendum quidem nobis esse omnino studio ad proximorum utilitatem, sed eo tamen pacto, ut temporariis eorum subsidiis potio-rem habeamus nostrum spirituales profectum, & proinde, si ex spontanea succurrendi aliorum corporibus cura non leve aliquod nostræ animæ incommodum provenit, malimus hanc indemnem servare, quam illorum tutelam, & procurationem suscipere: *nè aliis, ut scribit D. Paulus, sit remissio, nobis autem tribulatio.* (2. ad Cor. c. 8.) Neque ad id confirmandum deesset sive Apostolorum exemplum, qui ut liberiùs spiritualibus

bus ministeriis vacarent, communium elemosynarum administrationem à se relegarunt, profitentes in discipulorum cœtu: (*Act. 6.*) *Non est æquum, nos relinquere verbum D E I, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, quos constituamus super hoc opus. Nos autem orationi, & verbi ministerio instantes erimus: sive Christi Domini authoritas: qui officiosæ sollicitudini, quam Martha exhibebat illius corpus pascendo, sanctam aviditatem præhabuit, quam Maria Magdalena suum ab eo spiritum pascendo appetebat: sollicitam hospitam admonens, laudabilem utique externam illius circa pauperum sedulitatem esse; at laudabiliorem internam suæ sororis in uno necessario quietæ (*Luc. 10.*) *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit.* Ità, inquam respondere adversariis possem. Sed quid opus hanc responsionis viam ingredi? Perit de quasi, qui facultatibus propriis se eximiaminorem egenis subveniendi facultatem habebet, quàm qui retinere illas pergit. Nihil à verò remotius, imò, quamdiu eas aliquando retinet, nunquam iis poterit aliorum egenis succurrere: cùm palàm sit, huic à nobis*

tunc solum succurri, quando nostris nos rebus in aliorum gratiam, & subsidium exuimus. Quod nemo sanè uberiùs facit, quàm qui juxta divini Verbi consilia, *vendit omnia, quæ habet, & dat pauperibus.* En itaque, quicumque hìc mecum disputas, num ego voluntariam tibi paupertatem suadens, ab egentibus adjuvandis te avocem. Nempe non aliud tibi suadeo, nisi ut quàm largissimè, hoc est: toto tuo censu illos adjuves. Perge jam te excusare charitatis obtentu, ~~quæ~~ *quæ* tanquam si illa te inhibeat, nè pauper fieri velis, quò scilicet dives succurrere pauperibus possis. Imò tantùm illa indè abest, ut si nihil aliunde incitamenti ad paupertatem eligendam haberes, vel unate incitare ad eam charitas possset: cum omnino te pauperem faciens universis tuis facultatibus, aliquid verò de tuo retinens non nisi earum parte alienam sublevare egestatem queas. Apage, apage has cordis angustias, laxa, quantum potes, Christianæ charitatis viscera. Parùm munificus erga DEUM, & proximum est, qui ponderat, qui metitur, qui dividit. Non partem, non aliquid, non tantum solummodo, aut tantum: at summum, totum, universum, quidquid potes, largire. Præclarè D. Thomas: *Abre-*

nuntiatio propriarum divitiarum comparatur ad eleemosynarum largitionem, sicut universale ad particulare, & holocaustum ad sacrificium. Unde Gregorius dicit super Ezechielem, quod illi, qui possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bona, quae faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid DEO immolant, & aliquid sibi reservant. Qui vero sibi nihil reservant, offerunt holocaustum, quod est majus sacrificio. (2. 2. qu. 186. a. 3. ad 6.)

7. Quantum denique ad necessitatem vel operis faciendi, vel mendicandi, duplex mihi in promptu est responsio. Dico igitur primò: laborem operum, si moderatè exerceatur, haud posse neque nimis gravem etiam exiguarum virium homini accidere; neque animam, quæ impensè DEUM diligit, ab amica cum eo conjunctione distrahere. Præsertim quòd, ubi etiam illius pretium impar per se esset opportuno victui parandum, nulla ideo se offert inquietæ solitudinis causa, superflite ad defectum hunc supplendum altero mendicationis præsidio: adeò ut partim una, partim altera hujusmodi artium suppeditare victum possit, si minùs affluentem, & qualis esse divitum solet; at saltèm sufficere desideriiis naturæ, & consentaneum homini, qui ex divini amoris impulsu, præter
Evas

Euangelicam paupertatem, illam quoque
prophetetur austeritatem vivendi, de qua pro-
ximo capite agemus. Neque verò contra
mendicitatem dicta ullius ponderis sunt.
Quamvis enim & ipse ultro fatear, importu-
nitatis non ferendæ specimen fore, si quoti-
dianum sibi victum ab aliena misericordia
imploraret; qui vel affatim pecuniæ ad eum
comparandum domi haberet; vel idoneis ad
operandum viribus præditus, aliorum im-
pensis sustentari, quàm labore suo mallet;
nego tamen hoc nomine condemnari illos
posse, qui, cum facultates suas, juxta Evan-
geliæ consilium, in egenos diviserint, nec ha-
bent, unde vitam tolerant; neque ex ignavia,
sed partim ex imbecillitate virium, partim ex
studio divinis rebus vacandi, satiùs putant à
piis illud viris precariò exquirere, quàm im-
proba totius diei fatigatione mercari. Nam
si diebus festis, & divino cultui dicatis non vi-
tium inertia, sed religionis officium est à ser-
vili labore manus abstinere, quò alia sacro il-
li temporis congruentiora exercitia obeantur;
neque in hominibus, qui se totos DEO con-
secrârunt, desidia arguendum, sed pietati as-
signandum videtur, si à mechanicis id genus
operibus vacent, ut aliis interea præstantio-

ribus, magisque propriis statûs sui ministris fungantur. Præsertim quòd stipem ab aliis corrogando, nihil propterea injuria, aut damni illis afferunt: cum neque eos ad quidquam præter suam voluntatem largiendum cogant; neque aliud faciant, quàm eisdem invitent ad instituumdum cum DEO longè quæstuosissimum fœnus, utpote in quo nihil datur, quod centies multiplicatum ad dantem non redeat. Hæc igitur prima est responsio, satis per se valida ad satisfaciendum cuivis, qui eam justa lance perpendat. Si quis tamen non omnino acquiescit, etiamnum ad excusationem sui inuffitans: *Fodere non valens mendicare erubescit*; nè propterea minus æque erga paupertatem animo sit, sed noverit (quæ altera responsio est) ad neutrum horum ab illa se cogi. Habet quippe in promptu tot amicos, neque illos quidem ulla sibi fraude conciliandos, qui eum suis ultro fortunis privatum, *recipiant in domos suas*; quot religiosi sunt cœtus, ad pauperes voluntarios alendos in Ecclesia instituti. Age, in eorum aliquem adscribi se curet; ibique, licet nihil sui possidens, sed Iro quovis pauperior, securam nihilominus, & nulla ex rebus necessariis caretatem, citra omnem harum sibi parandarum

solicitudinem, vel DEO tantum & sibi, vel sempiternæ etiam proximorum saluti vacans, vitam traducet. Institutione enimverò vivendi, sive illius singularis utilitas, seu celerissima per orbem latè universū propagatio, seu immota tot jam sæculis permansio attendatur, supra modum mirabili, & cujus nemo esse author primarius præter DEI Filium potuerit: utpote quæ cum perfectissima paupertate certam, & prorsus gratuitam rerum omnium corpori necessariorum facultatem conjungens, suave, nedum leve humanæ imbecillitati reddidit perfectionis Evangelicæ jugum.

8. Demonstrata hunc in modum diviti-
bus sua terrenis possessionibus se abdicandi
necessitate, si perfectè DEUM amare deside-
rant; superest, ut cum iis porrò agam, qui
prædictum Servatoris nostri consilium exe-
cuti jam sunt: neque contenti omnimodam
paupertatem elegisse, quò illam & minori
cum solitudine, & uberiori cum fructu
profterentur, suave ipsi secundum rationem
modò indicatam religiosæ onus obedientiæ
adjecerunt, irrevocabili utriusque sacramen-
to ad aras solenniter dicto. Hi ergo mo-
nendi mihi sunt, licèt paupertatis Evangelicæ

cæ status singulari admodum dignitate excellat, illiusque præfidiis queant ipsi ad eximiam sanctitatem pertingere; hujus tamen affectionem non esse promiscuum omnium decus, qui eo in statu versantur, sed illorum duntaxat, qui juratam ibi paupertatem ex animo diligunt, quatenus ab ea Christo similiore redduntur: neque ideo satis habent eam colere, quoad sola voti religio præscribit; sed student præterea quàm penitissimè illi adhærere, & quæcunque illius scita præceptum ad unguem servare. Nam alioqui, si religiosus vir, posteaquam perpetuo voti nexu, ceu legitimo quodam spiritualis connubiæ fœdere Evangelicæ nuditati se adstrinxit, incipiat recentem suam sponsam horrere, cum ea invitus versari, illius amplexus, hostilia quasi vincula declinare, utque extra metaphoras loquar, curet, quàm minimum potest egere, ac ritu pauperis vivere: omnia feliciter aucupans commoda, quibus fruebatur, priusquam patrimonio se exueret, imò plura sæpe, & majora, quàm quæ extra connubium suo ære victitanti suppeditaret reliquæ patrimoniæ tenuitas: neque rebus quotidianæ sui usûs minori cupiditate adhæreat, quàm si proprio dominii jure eas possideret; quibus
nam,

nam, rogo, huiusmodi hominem credat iis potiturum privilegiis, quæ veræ paupertatis sunt propria, eoque perfectionis Christianæ evasurum, quò suos illa consuevit sectatores perducere? Certè hæc rerum supervacuarum cupiditas, & iis, quæ ad ordinarios usus pertinent, animi adhæsiō, ut effectus, propter quos imprimis damnosa est, deserique à servis DEI solet divitiarum possessio; non minus, & fors etiam plus noxæ illi afferent, quàm multis divitibus suarum opum dominium: quique hoc pacto intrà cœnobium se gerit, apertè indicat, quando facultatibus suis nuntium remisit, nequaquam se id fecisse ex vero, & efficaci desiderio removendi à se omnia, quæ perfectam obturbare possent suæ animæ conjunctionem cum DEO; vel pristinam illam voluntatem progressu temporis evanuisse, & se illius nunc pœnitere: adeò ut si fors Christi Vicarius nuncupati voti obligatione illum solveret, in singularis beneficii loco id haberet, nullaque interpositâ morâ, quam olim dimiserat, suarum rerum possessionem resumeret. Erit itaque operæ pretium, si certa quædam proponamus capita ab iis rite observanda, qui pauperes esse in cœnobiis volunt, non solo nomine, verùm etiam

am

am re ipsa, neque intrà meros promiscuæ obligationis limites, sed juxta omnem amplitudinem, sive ut loquar meliùs, adstrictionem perfectissimæ illius paupertatis, quæ hominem à bonorum pereuntium cupiditate avellit, ut cum DEO penitus jungat, & terrenis facultatibus spoliat, ut cælestis regni possessorem efficiat: tam magnificè à Christo Domino in Euangeliis commendata, ut non tantùm beatitudinis titulo eam decorârit, sed & inter octo beatitudines primam posuerit. *Ordine enim* (ceu observat D. Ambrosius) *prima est, & parens quædam generatioque virtutum. Quia, qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna, nec potest quisquam meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate profusus emergendi non habet facultatem.* (L. 5, in Luc. c. 6.)

9. Primum igitur caput est, ut religiosæ paupertatis sectator omnem opulentiam speciem & in aliis fastidiat, exosamque habeat: neque vel spectare unquam, nedum admirari dignetur potentium luxuriam, magnificos currus, splendidas vestium phaleras, longas pedisequorum turmas, sumptuosa diurnum ornamenta, abacos, tabulas, peristromata, aliòsque hujusmodi apparatus, ad pompam

pam duntaxat, & superbam divitiarum ostentationem compositos: aut, si videre aliquando talia contingat, Christiano ea supercilio despiciat, irrideatque, non secus ac puerorum crepundia: imò etiam abominetur, tanquam res non modò supervacuas, sed & animis noxias, ratione cupiditatum, quas irritant, & fastus, quem nutriunt: juxta memoratum supra exemplum Reginæ Esther, non sinè horrore, atque nausea intuentis, *quasi pannum menstruata*, superbum diadema, quo cogebatur frontem redimire *in diebus ostentationis suæ*.

IO. Secundum, ut impensè amet, excellentissimâque in æstimatione habeat, quasi Angelicum vivendi genus, perfectam terrenarum rerum nuditatem: optans, si fieri posset, vivere instar puri spiritûs, absque tecti, cubilis, sedilium, & cætera supellectilis indigentia, atque copia, nec, ubicunque sit, & quocunque pergat, aliud quid habere, nisi se ipsum, & DEUM. Ità ut admittat sanè, ac penes se habeat nonnullas ex hujusmodi rebus, quas naturæ necessitas, & communis vitæ usus requirit, sed tolerantis potiùs, quàm amanti ritu, invitus, gravitèrque ferens, tanquam necessaria quidem, sed permolesta humana-

ma-

manæ conditionis nostræ onera, atque impedimenta. Qualis mens, & animus Seraphici Patris Francisci erat, soliti paupertatem amicis, splendidisque nominibus, Sponsam, Dominam, Reginam vocare. Qui etiam, cum aliquando emendicati quædam panis frustra, iis se refecturus, juxta fontem statuisset, præ nimia de illo tam vili, & exiguo apparatu lætitia, ad Masseum socium conversus, ah Frater, dicit, nequiquam certè digni nos sumus hoc tanti pretii thesauro. Mox, ubi aliquoties, & elatiori semper voce eadem hæc verba iterasset; proximum sacellum orandi causâ ingressus, tantum ibi amorem paupertatis concepit, ut attonito, flammeoque vultu ad socium rediens, nihil effari aliud posset, præter hæc verba: ah, ah, ah, Massee frater, accede intrâ meas ulnas. Quod cum ille fecisset, rursus, ah, ah, ah, exclamavit, tanto cum impetu, ut Masseum orbis sui spiritu non secus ac violento quodam turbine sublimem à terra abripuerit, & ad aliquot inde passus projecit: subdens postremo, eja Frater charissime! eamus hinc Romam, supplicatum beatis Apostolorum Principibus, Petro, & Paulo, ut æstimare pro suo merito, & rite possidere nos doceant sanctissimi,

simæ, ac beatissimæ paupertatis thesaurum, divinum sanè thesaurum, adeò ut minimè digni simus, qui in terrenis illum, sordidisque nostris vasis habeamus.

II. Tertium, ut congruenter ad hunc animi habitum procul à se, & cubiculo suo facessere jubeat, quidquid ultra usus necessarios redundat, adeò ut, si fella unica sufficit, nè habere geminas, aut plures velit, & sic de quovis alio supellectilis genere: multoque adhuc severiùs indè proscribat, quidquid non modò necessarios, sed communes itèm familiaris suæ usus prætergreditur: secùs ac quibusdam mos est, quorum cubicula tabernas nundinales dixeris. Nempe ibi congesta videre est hōrologia machinalia, tubos opticos, feramentorum omnis generis thecas, multifor-
mes tabaci pyxidulas, exquisiti artificii lucernas, varias bellariorum, & medicaminum species, & alia id genus utensilia, seu veriùs loquendo, profanæ irritamenta luxuriæ. Omnia quidem cum Præsidis venia, sed nihil juxta Christi consilium, juxtaque professionem verè, & ex animo pauperum, qui quàm minimùm habere terrenarum rerum volunt, quo capaciores sint bonorum cælestium, dicentes Domino unà cum Apostolorum Prin-
M m
ci-

cipe: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* (Matt. 19.)

12. Quartum, ut ipsammet necessariam & promiscui usûs supellectilem contentus sit habere, qualem in cubiculo reperit, qualis que ex domesticis sibi officinis præbetur: non verò à consanguineis exquirat, vel pecunia suâ emat: quemadmodum nonnulli faciunt totum penè cubiculi apparatus proprium habentes, suo scilicet, vel cognatorum ære comparatum, proprios pileos, propria sudaria, forfices proprias, libros proprios, & quid tandem non proprium? Quæ deinde, unà cum supervacuis aliis paulò antè recensitis utensilibus, quoties mutanda sedes aliò, aliòque transvehentes sarcinas componunt, de quibus dici possit: *Tota domus componitur unâ.* (Juv. Sat. 3.) Proh quantum dissimiles Ægypti veteribus Monachis, in quos, teste Cassiano, nè verbo quidem auderet quis dicere aliquid suum, magnùmque erat in eorum men, ex ore Monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, proque hoc dignâ pœnitentiâ satisfaciebat, si aliquo per subreptionem, vel ignorantiam huiusmodi verbum de ore ejus effugisset. Quod prædictus author retulit, tantam illam vel

loquendo severitatem cum vigente apud alios operandi licentia componens, temperare justæ indignationi non potuit, quin subjungeret: *Ad hæc nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes peculiare circumferimus claves, & quibus non solum cistellæ, vel sportæ, sed nè arcæ quidem vel armaria ad ea, quæ congerimus vel quæ de sæculo reservavimus, condenda sufficiunt.* (L. 4. c. 13. & 15.)

13. Quintum, ut necessarii mensuram intra fines quàm maximè arctos contrahat: haudquaquam pro tali accipiendo, quod ad plenam duntaxat operandi, vivendique commoditatem requiritur, vel quo opus sibi esse, non nisi in extraordinariis, & fors nunquam eventuris casibus potest, vel quo rarissimè, putà quater, aut quinquies toto anno indiget. Sed ea solummodo in necessariis numero uti cogitur, & carere sinè gravi incommodo nequit. Cætera verò, sinè quibus vivere, & operari, tametsi aliquantulò minus commodè potest, quæque ad extraordinarios, & rarissimos tantum usus requiruntur, & quando utendi tempus venerit, perquam facile ab aliis domesticis commodato accipiunt, pro supervacaneis habeat, utque talia

lia è suo cubiculo amoliatu: neque idcirco
 (ut uno, alteróve exemplo rem declarem)
 sive urnam, & catinum ad manus, faciémque
 abluendam, seu plures libros, quàm quibus
 plerumque utitur, curet penes se habere, cum
 possit, quodocunque opus fuerit, commu-
 ni bibliotheca adita, & expositi omnibus mal-
 luvii usu eum defectum supplere. Denique
 gaudeat cellam habere, ubi degit, quantum
 maximè fieri potest, expeditam, nudam, &
 vacuum iis omnibus, quæ non profus neces-
 saria illi sunt, quamvis ad majus illius com-
 odum facerent, studens esse, juxta mentem,
 ac sententiam D. Hieronymi, (*In Ezech. c. 4.
 & 16.*) similis rotæ, quæ vix nec nisi unico
 in puncto humum attingit, & erubescens,
 aliqua re utatur, qua alter quispiam caret,
 possétque ipse etiam carere: quemadmodum
 erubuisse Diogenes fertur de ligneo poculo,
 quo ad bibendum utebatur, ubi puerum aspe-
 xit fontis publici aquam potare, non alio
 cratere, quàm ex suismet manibus, ad crate-
 ris speciem inflexis. (*Ap. D. Hier. L. 2. contra
 Jovin.*)

14. Sextum, ut eandem parsimoniam
 & severitatem observet, circa ipsomet re-
 rum alioqui necessariorum usum, metiend-

hunc quoque non majoris commodi, sed solius necessitatis decempedâ : adeò ut v. g. si noctu orationi, vel literario alicui studio vacare in tenebris potest, nè lucernam per id tempus accendat, similiterque in alia quavis materia. Hac enim parcitate uti in rebus absumendis solent, qui revera pauperes sunt, qualem ipse profitetur se esse.

15. Septimum, ut ad meliùs præcavendam omnem terrenarum rerum cupiditatem, ea ipsa, quibus uti cogitur, velit esse, quoad ejus fieri potest, vilia, exigui pretii, nullius ad speciem nitoris, nec ullo alio, quàm solius usûs nomine appeti digna: cubiculum scilicet humile, exiguum, rude, inornatum: pluteum, sedilia, loculamenta carie semirofa, & vetustatis squalore obsita: petasum, calceos, tunicam, pallium, stragula, cateramque vestimentorû supellectilem detritam, & pluries resartam: libros simpliciter compactos, longoque usu decolores: sancta quadam ambitione contendens id assequi, ut nemo illo sit ex domesticis omnibus, seu copia, seu qualitas utensilium attendatur, pauperior. Quò etiam pertinet, in cibis itidem, ac medicamentis semper eligere, quæ minoris pretii, hoc est magis propria egenorum sunt:

nihil pensi habendo, quod minùs indè opùs,
& commodi corpus percipiat: uti neque pen-
si id habent, quos fortuna, & nascendi con-
ditio esse inopes cogit: probè scilicet gnari,
æquum esse, ut quilibet facultatum suarum
modo metiatur sui corporis cultum, neque
omnia divitum commoda affectet, cui in re
angusta viventi haud parum videri debet, si
quacunq; demum ratione suis usibus con-
sulat.

15. Octavum, ut omnem ab animo vi-
ctùs, vestitùs, & id genus necessariarum cor-
pori rerum sollicitudinem abigat, ne utiq;
ægre ferens, & mussitans, si interdum ali-
quid hujusmodi minùs largè ipsi præbeat,
quàm usus naturalis desideret: imò de hoc
ipso in sinu suo gaudens, & gratias DEO re-
ferens, quod per necessariarum penuriam
instar pauperis tractet. Qualis revera
minimè posset, si nihil eorum, quibus na-
tura indiget, sibi unquam deesset. *Pauper
non est, cui rerum suppetit usus,* (Hor. Epist.
L. 1.) quemadmodum Poëta cecinit: & que-
admodum Salomon sensit, cum precatus
DEO est, quasi statum inter paupertatem
opulentiam medium, ambobùsque ab huius-
modi extremis distinctum, nè quid sibi ad-

etum congruentem deesset. (Prov. 30.) *Mendicitatem, & divitias nē dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* Sed quoniam in nonnullis horum capitum paupertas afflictationem quoque corporis adjunctam sibi habet, & ad illam, ubi etiam talis est, libenter observandam, præter incitamenta illius propria, multum conferunt, imò & necessaria sunt alia, quæ à mortificationis studio suggeruntur; non parum firmamenti rebus hæcenus dictis adjicient, quæ capite subsequenti dicere aggrediemur.

CAPUT XXII.

Incitari ab amore DEI animam, ut, quæcunque corpori amica sunt, fugiat, & quæcunque invisa confectetur.

I divitiarum amor, & possessio, ut vidimus, perfectio DEI amoris adversatur; multò id magis de corporearum voluptatum usu, & amore est dicendum. Magis de amore: quia primò naturalis voluptatum appetitus longè est, quàm divitiarum, vehementior,

M m 4

tior,